



1. 7  
2. 8  
3. 1  
4. 2  
5. 1  
6. 1  
7. 1  
8. 9  
9. 7  
10.  
11.  
12.  
13.  
14.  
15.  
16.

Vd. 172.  
1.





Contenta in hoc Volumine:

1. Holzfchaker, Car. Sig. El., oratio de Comitibus a. 1356. Norimb. celebratis, in quibus Caroli IV. Imp. aucta Bulla fuit sancita. Altorf. 1732.
2. Weidling, Christ., Dissertatio politica de Nobilibus Imp. Rom. Gen. immediatis. Leucopetrae 1709.
3. Bechmann, Joh. Volv., Jus statutum Imperii sublimae. Jenae 1678.
4. Lyncker, Nic. Christoph., de reintegratione Circularum S. R. Imperii. Jenae 1699.
5. Hertii, Jo. Nicol., Dissertatio de subiectione territoriali. Gisse 1678.
6. Winter, Jo. Franc., Dissert. sistens praerogativam Electorum S. R. I. circa acquirendos abique specificis Imperatoris consensu terras Imperii. Argentorati. 1721.
7. Weber, Imman., de retractu Nobilibus Imperii immediatis per privilegia Caesaris concessio. Giesae 1722.
8. Ludewig, Jo. Petr., de praerogativa Wurtembergici Ducatus, praesertim adversus appellaciones, evocationes & regressus. Halae 1719.
9. Hegel, Georg. Frid., de immunitate Civitatum Imperialium a vectigalibus in rebus ad usum proprium publicum pertinentibus. Altorfii Noric. 1726.
10. Baeder, Jo. Henr., Dissert. de acquisitione et amissione Imperii Rom. German. in Livonia in iure. Argentorati 1710.
11. Wildvogel, Christ., Dissert. de antiquo coronae Galliae et Carolingicae in Livonia in iure. Argent. 1744.
12. Scherz, Jo. Georg., Dissert. de antiquo coronae Galliae et Carolingicae in Franciae regnum in regnum Lotharingiae iure. Argent. 1744.
13. Herrmann, Christ. Gottfr., de iuribus Imperatorum et Regum Germaniae. Collegiis Nobilibus, earumque a Comitibus Imperii Differentia. Lipsiae 1707.
14. Jurand, Jo. Jul., de vero sensu Art. VII. §. 2. Capitulat. noviss. Francof. ad Viadr. 1753.
15. von Condersheim, Joh. Friedr., de iure et privilegiis Nobilium Liberosum et Immediatorum. 1715.
16. Schmid, Jo. Laur., Dissert. superioritatem territorialem Nobilibus Imperii immediatis adveniens. Altorfii Noric. 1708.

17. Tittii, Gottl. Gersh., dissert. de iure Nobilitatis Lutheranae ad  
Immediata Germaniae Capitula et Canonicat. Lipsiae
18. Lyncker, Nic. Christoph., dissert. de religione obsequii. <sup>1709</sup>Remet. 1709.



ad  
p. 112.  
112.













2 DISSERTATIO POLITICA  
DE 683  
NOBILIBUS

IMPERII ROM. GERMANICI  
IMMEDIATIS

Von der  
Freyen Reichs = Ritterschafft/  
QVAM

ADSPIRANTE SUMMI NUMINIS CLEMENTIA  
IN ILLUSTRIS AD SALAM AUGUSTEO,  
SUB PRÆSIDIO

DN. CHRIST. WEIDLINGII,  
PHILOSOPHIÆ ET JUR. UTR. DOCTORIS  
CELEBERRIMI, COMITIS PALATINI CÆSAREI, CONSILIA-  
RII SAXONICI, ILLUSTRIS AUGUSTEI RECTORIS ET PROFES-  
SORIS PUBLICI LONGE MERITISSIMI,

DOMINI PATRONI AC DOCTORIS SUI OMNI  
HONORIS AC OBSERVANTIÆ CULTU ETÆTEM PROSEQVENDI  
D. V. SEPTEMB. A. O. R. MDCCIX,  
IN ACROATERIO MAJORI SOLENNI ERUDITO-  
RUM CENSURÆ SUBJICIET

AUTOR ET RESPONDENS  
FRID. GVILIEL. de STUTTERHEIM,  
EQVES SAXONICVS.

LEUCOPETRÆ,  
Typ. Jo. Christoph. Brühl. Aul. & Aug. Typogr.







PRÆLOQUIUM.

**Q**uantus Nobilitatis splendor, quanta hujus dignitatis detur ad fulciendas Respublicas utilitas, ex hoc quam maxime constabit, quod nulla ferme vigeat natio, nulla gens, quæ non illustrem Nobilium ordinem illustribus juribus ac prærogativis exornare allaboret. Qualia & quanta sunt illa privilegia, quibus Polonica condecorata est Nobilitas! Jus namque votum ferendi ad eligendum Regem penes singulos Nobiles est, immunes sunt à vectigalibus & soli Nobilitati ad omnes tum Ecclesiasticas, tum seculares dignitates patet aditus vid. Sprenger. *Perfp. Chr. Orb.* Hartnoch. *in Reb. Polon. Lib. II. C. V.* Gallicanæ Nobilitati in singularem cedit gloriam, ab ipsis etiam Regibus agnosci, præcipuum regni robur in ea situm esse, ejusque proinde honori ac Juribus conservandis sedulo invigilari, Consul. *Cod. Lud. L. XII. Tit. I. §. 2.* Et sicuti moris ibi est, Nobilitatem in majorem & minorem dividere; ita illa proxime Regi accedit ejusque munificentia fruitur, hæc vero ex propriis redditibus parce & privatim vivit ac parum commercii cum aula habet. Choppin. *de Mor. Paris L. I. Tit. II. n. 33.* Grammond. *Lib. III. Histor. pag. 182.* Addit. *Lib. V. pag. 271.* Et quem Politicorum facile fugiet, quod in Provinciis Fœderati Belgii Nobilitas peculiarem constituat Ordinem, alterum civitatibus absolventibus? Unde inscriptio decretorum Ordinum Hollandiæ: Equestris Ordo, Nobiles & Civitates Hollandiæ West-Frisiæque teste Boxhorn. *de Stat. Fœd. Belg. Cap. X. §. 3.* Seriem Nobilium Hollandiæ & West-Frisiæ perlustrare licet apud Joh. Laet *de Republ. Confœd. Belg. Tit. Holland. Sect. VII.* Antiquam Hungaricam Nobilitatem egregiis ornata fuisse



Juribus, testis est Autor *Cynon sur. Jur. Hungar.* Sub nullius præter legitimi Regis potestate fuerunt nobiles, absque citatione nec per Regem capi poterant, ac de propriis acquisitionibus libere disponere valebant. Et quamvis Nobilitas Danica, vigente in regno Daniæ electionis jure, majori fuerit autoritate, adhuc tamen illustribus radiat privilegiis, quibus instructam reddidit Serenissimus Rex Fridericus donatis Anno MDCLXI. d. X. Jul. Potiora sunt sequentia: Ut ab oneribus ordinariis sint immunes, prærogativa præ cæteris Statibus gaudeant, nullibi nisi coram tribunali regio in causis criminalibus sint conveniendi, jure bona naufragorum in ditionibus suis appulsa ad usus suos transferendi fruantur, quod alias Fiscii Regii emolumentum est. Vid. *Theatr. Europ. Tit. IX. fol. 372. & 373.* Possem nunc ad alia excurrere regna, meique asserti veritatem ulterius illustrare; sed quia Clarissimi Viri ferias mihi fecere B. L. ad illos ablegatum volo. Anglicanam enim Nobilitatem egregie delineavit Nobil. Seldenus in *eximio Opere de Titulis Honorum. Svedicæ Nobiles eorumque jura explicarunt Johannes Messenius in Theatro Nobilitatis Svecanæ & Loccenius A. S. L. III. Cap. VII.* De Hispanis egit Hornius in *Orbe Imp. de Regn. Hispan. Per I. Cap. IX.* ut & Sprengerus *L. c. f. 44.* De Bohemica Nobilitate Balbini *Epitom. Rer. Bohem. Lib. III. Cap. V. fol. 181. & 186.* consulere licet. Russorum Nobiles adumbravit Olearius in *Itinerario Persic. pag. 65,* Turcicam vero Autor *Status Turcici Lib. I. Cap. XVI.* Quoniam autem, judice ipso sacratissimo Imperatore *L. 2. §. 43. ff. de O. J.* Turpe est patriciis & Nobilibus jura ac privilegia propria ignorare, jussu Superiorum Dissertatione publica Nobiles Imperii Rom. Germ. illustriores enucleare, decrevi. Dissimulare quidem haud possum, difficultates plane nodosas animum ab initio deterruisse, cum ad sublimia themata politica eundem non satis subactum cogitar em. Verum cum ex adverso insignis hujus materiæ utilitas me magis magisque caperet, obfirmavi animum & de illustri hoc Themate Theticæ æque ac Polemicæ disserere mecum constitui. Ratus in magnis etiam conatum laudandum, eundemque non absque emolumento Studioso Nobili futurum. Ut vero omnia ex voto fiant, Deum Triunum supplex oro ac veneror!





## SECTIO THETICA

exhibens

Terminorum & Rerum explicationem.

§. I.



Vo majora merita, eo major eadem datur compensandi necessitas. Salus publica, quæ suprema lex est, hoc poscit, & Juris naturalis dictamen inculcat, ne virtutum vilescat dignitas & Reipublicæ splendor nebulis involvatur. Hoc ex limpidissimo fonte etiam derivandam censeo splendidam Nobilitatis lucem, per majorum vel propria merita quæsitam. Uti vero hæc egregia materia mihi non raro salivam movit, ita non possum non, promissorum meorum bene memor, idea Nobilium illustriorum eandem aliquo modo illustrare.

§. II.

Thema commendatum ad complexorum classem referendum esse, extra dubium est. Quid mirum, si omnia illius vocabula, in quantum methodus postulat, prius excutere suscipiam, quam ad Polemicam tractationem accessum parem. Principem locum tenet illustre vocabulum Nobilis. Sicuti vero Nobilitas à noscendo dicitur quasi noscibilitas (est enim vi vocis nihil aliud, quam celebritas, & claritudo nominis ac factorum); ita &



nobilis quasi nobilem h. e. virtute sua aliis præfulgens & cuilibet nobilem ac conspicuum se reddens. Tiraq. de Nobil. Cap. 2. num. 3. Sorisbec. de Feud. Cap. 7. n. 20. Nold. de Scar. Nobil. cap. 1. n. 7. Limn. de Jur. Publ. Cap. 1. n. 5. Hinc & prisca Nobilem pro Noto quandoque dixere & loco nobilis scripserunt gnobilis. Fest. Pompej. de Verb. Signif. sub lit. N. Non. Marcell. Cap. IV. lit. N. A veritatis itaque tramite mihi aberrare videntur, contententes, quod Nobilis quasi non bilis, quia mansuetudini deberet esse deditus, vel quasi nobis lis, quoniam Nobiles de honore & præcedentia ob virtutum prærogativas merito cum omnibus litigarent, dicatur, cum sane inter veram derivationem & qualemcunque allusionem insigne detur discrimen. Vid. Limn. & Nold. ad. II. adde Lehm. Chron. Spirens. Lib. 2. cap. 14. & 19.

§. III.

Quod non de Nobilitate gentis præcise spectata, sed de complexa, quatenus nobilitate mentis nititur, hic sermo sit, ex rubro fati colligere licebit, cum Nobilitas absque virtute sit radius sole orbatus. Nec difficile erit sententiam ferre, Nobilitatem in sensu famoso acceptam, quæ totum complexum dignitatum Civilium ab Imperatore ad Barones usque comprehendit, hujus loci non esse, sed potius in minus famosa significatione, quatenus inferiorem gradum eminentiæ super popularem exprimit statum, accipiendam esse. Vid. Jul. Pflug. de Reb. Germ. pag. 19. Gokel. de Reg. Europ. Cap. 24. Limn. Not. Franc. Lib. 4. Cap. 3. fol. 264.

§. IV.

Alio nomine salutantur Equites. Vid. Ord. des Regiments zu Augspurg de anno 1500. tit. wie 20. Personen. §. die andere sechs R. F. de anno 1555. §. und in solchen Frieden/te. Ubi notandum, quod Equitis titulus hic non sumatur specialiter, prout notat peculiarem quandam dignitatem, quæ non competit Nobilibus qua talibus, sed quibusdam eorum specialiter per receptionem in Ordinem equestrem conceditur, ita in der Königl. chen Sazung von gemeinen Pfennig de Anno 1495. tit. von der  
Eint



Einnahme der Auflegung. *Reform. Polit. de Anno 1548. tit. von un-*  
*ordentlicher Köstlichkeit der Kleidung & tit. von Adel s. jedoch*  
*solten Reuter ic. accipitur; sed generaliter, quatenus quoscun-*  
*que comprehendit Nobiles, forte quod ante ducentos præter pro-*  
*pter annos solis fere Nobilibus militia equestris assignata. Besold.*  
*1. Polit. Cap. II. num. 45.*

§. V.

Germanice, prout haud ignotum, vocantur *Edle Männer/*  
*Edle Leute* quasi *Adlers Männer/* vel quia aquila est vexillum  
Imperii, quod Nobiles Imperii, in expeditione illius nomine ab  
Imperatore suscepta, sequi tenentur, secundum Casparum à Lerch,  
*de Equestri Ordine fol. 4.* vel quod sint propugnatores aquilæ, uti  
conicit Reinholdus Comes à Solms in *der Beschreibung des*  
*Adels.* Taceo, quod alii ab Adelingis Saxonis, præcipuè olim  
dignitatis Proceribus, alii ab Adelo Frisonis, Frisonicæ gentis condi-  
toris filio vid. Knichen. *de Jur. territor. Cap. 1. Num. 13.* hanc accer-  
sitam velint vocem.

§. VI.

Olim communiter dicebantur *Junker* quasi *junge Her-*  
*ren/* non quia sunt domini minores in comparatione majorum,  
puta Principum & similium, sed per usum & translationem verbi.  
Cum enim omnes non solum Principum, sed & Regum fratres &  
Filii juniores domini, quoniam regimen non obtinebant, sed il-  
lud gerentibus suberant, vocarentur, ut ex historiis & imprimis  
ex *Chron. Oldenb. part. 3. cap. 2. fol. 201.* Goldast. in *Majorat. Lib. 2.*  
*cap. 6. n. 14.* & Speidel. *specul. sub hoc verbo,* constat; tractu tem-  
poris illud per ambitionem prius in Nobilium filios ac ipsos tan-  
dem Nobiles translatum, Regum & Principum Fratribus ac Filiis  
odiosum ac vile redditum, adeoque omissum fuit. Feltman. *de*  
*Jur. in re & ad rem cap. 13. n. 44. & de Tit. Honor. Lib. 1. cap. 34.*

§. VII.

Quo vero eo melius finem consequar intentum, sequentem  
in modum Nobilitatem delineare animus est: Nobilitas est præ-  
roga-



rogativa Status & dignitatis, qua quis ob propria vel Majorum gloriosa facta ac præclara Artis aut Martis merita autoritate Summi Principis è plebejorum eximitur censu & egregiis ornatur Juribus,

§. IIX.

Communicata hæc delineatione sole meridiano clarius, ni fallor, patefcet, à quo hæc insignia eruditionis ac virtutum expectanda sint præmia. Tantum enim abest, ut à privatis originem ducere possint, cum nec sola virtus, nec proprium de se ipso judicium ad adipiscendam Nobilitatem sit sufficiens; ut potius illis tantum hæc potestas relinquenda, qui publico præfunt & superiorem in his terris non agnoscunt. Inde sponte sua fluit, quod non solum summis Imperatoribus & Regibus, sed & Ducibus ratione nobilioris territorii partis suprema potestate gaudentibus, hoc de jure gloriari liceat. Verbis meis robur addit exemplum Friderici gloriosissimæ memoriæ Electoris Brandenburgici, qui non raro in Borussia viros præcellentes Nobilium nomine ac juribus, & quidem in firmati ibi Suprematus sui testimonium, donavit. Vid. Becman. in *Syntag. Dignit. Illustr. pag. 1180.*

§. IX.

Ipsas & Respublicas liberas hanc Majestatis partem explere, dubitare non sinunt, illustrissima Rerumpublicarum exempla. Uti enim olim Romana Jus imaginum concedere potis fuit, ut constat ex Ciceron. *Orat. II. in Rullum in princ. & Orat. V. in Verrem cap. 14.*; ita & Serenissima Respublica Veneta, tam ob antiquitatem, quam a seculi quarti anno 20. deductam cupit Autor *Chorographiæ Domini Veneti* (de quo etiam legi potest Conring. de *Fimib. Imper. Germ. Lib. 1. cap. 11.* & Contaren. de *Republ. Venetorum Lib. I. circa princ.*) quam ob insignem potentiam ac prætensionem in duo regna Creticum scil. & Cypricum vid. Maurocen. in *Histor. Ventor. Lib. 12. f. 486.* & Bemb. in *ead. Histor. Lib. 1. pag. 24.* Accedit & longissima ac plane immemorialis hujus Juris usurpatio, de qua videre licet Knichen. in *Opere Politico pag. 80.*

§. X. In



§. X.

In dubium vocare haud audeo, Archi. Duces etiam Austriae, quamvis Feuda ab Imperatore recognoscere necesse habeant, Jure non solum creandi Nobiles, sed & Comites ac Barones gaudere. *Limn. Jur. Publ. Lib. 5. Cap. 3. n. 32.* Nec desunt alii Imperii Status, quibus hæc gratia ab Imperatore indulta. Succurrit namque illustre exemplum Christiani Comitis Ranzovii, cui & toti ex eo descendenti masculæ profapiæ Imperator Ferdinandus III gloriosissimæ recordationis vigore privilegii Comitivæ Palatinæ hæreditariæ concessit Jus benemeritis hæreditariam nobilitatem plenam conferendi, ita ut in toto Romano Imperio in hastiludiis & Feudis antiquis ac perfectis Nobilibus æquiparari debeant, sicuti refert Bangertus *ad Helmodi Chronic. Slavor. Lib. 1. cap. 40.* Quoniam vero hæc usurpatio singulare sapit privilegium & ad certa territoria non raro est restricta, nil nisi communicatam à summo Imperante potestatem docere valet. *Limn. Jur. Publ. Lib. 5. cap. 3. n. 32.*

X I.

Quod præclaris literis ac armis præcipue innitatur Nobilitas extra omnem positum est controversiam, indicante utrumque Cicerone *pro L. Murena Cap. 13.* his verbis: Duæ sunt Artes, quæ possunt locare homines in amplissimo dignitatis gradu, una Imperatoris, altera Oratoris boni. Hinc non immerito Betsius *de Pact. Famil. Illust. cap. X. pag. 721.* illas duas alas & scalas Nobilitatis esse dixerit.

§. XII.

Per virtutes non quaslibet, sed primarias, puta Pietatem, justitiam, prudentiam, fortitudinem, sapientiam ac similes, uti etiam per literas saltem egregias ac laude honoreque dignas & per benemerita officia & facta egregia Principi & patriæ tam pacis, quam belli tempore fideliter & laudabiliter præstita, cum nobilioribus intelligo Politicis. *Becman. l. c. p. 1181.*

B

§. XIII.



§. XIII.

Sicuti verò eruditio singularis per se quidem doctum & honoratum, non tamen Doctorem absque declaratione publica efficit; ita nec Virtus, scientia & experientia bellica, eruditio & præclara merita nobilitatis dignitatem per se conferunt, sed ad eam ex privilegio & pleno jure acquirendam, declaratione & collatione ab eo, qui illa potestate pollet, facta opus est. Conferitur itaque nobilitas non per adoptionem, etsi etiam illa fiat ab avo materno, contra *L. pen. in princ. C. de Adopr. §. 2. F. eod.* sed vel solenni Diplomate ab Imperatore alioque summo Principe obtento, vel jure sanguinis ac nativitatis, si nimirum quis à legitimis parentibus legitime nascatur, vel factò aliquo singulari Principis summi. Huc spectat etiam ille modus, quo in Hispania ille, cui Rex in confessa vel conventu publico caput tegere mandat, pro principe & majori nobilitate ornato habetur.

§. XIV.

Quoniam verò, prout Dissertationis titulus palam facit, mihi potissimum res est cum Nobilibus immediatis Imperii Romano-Germanici, ad secundum explicando tendere vocabulum, fas erit. Nobiles mediatos illos esse, qui non inmediate Imperio, sed Statibus subjiuntur, ex Politicorum notum est Præceptis. Patiuntur tamen hi pro diversitate Provinciarum diversas distinctiones. In Saxonia nostra dividuntur in Schrifft-sassios & Ambt-sassios. Illis Princeps iussa & mandata per Cancellariam, ut territorii princeps, his vero, ut præfecturæ Dominus per quæstores & quandoque Capitaneos, exponit. In Schrifft-sassios à Cancellaria Principis vel Curialibus judiciis exercetur jurisdictio; in Ambt-sassios autem præfecturarum officialibus hoc exercitium expediendum, prima scil. instantia, conceditur, nam per appellationis viam ad superius forum etiam Ambt-sassiorum causæ devolvi possunt, teste Wilhelmo Leisero in *Dissertat. de Landsassios & Schrifft-sassios ibes. 38.*

§. XV.



§. XV.

Sicuti autem hæc omnia animo saltim illustrandi adducere allubuit, ita nunc ad immediatos Nobiles enucleandos me conferam. Hi Consultissimo Gailio vocantur Primarii Nobiles in aureo Tractatu de Pignor. Observat. 1. num. 1. A Clarissimo Biedenbachio in *Questiõ. Nobil. l. n. 7.* Liberi dicuntur Nobiles Die gefreyte Reichs = Ritter schafft. Ex mente aliorum, quam appellationem & meam feci, salutantur omnium optime Nobiles immediati, non quod ab omni plane jurisdictione sint immunes, sed solum Imperatorem & Imperium pro superiori recognoscant, nullique, quoad personam, subsint Imperii statui, sed immediate soli Imperatori & Imperio pareant. Vid. R. J. Spirens. de Anno 1542. dieweil aber ic. de anno 1555. §. in solchen Frieden ic. Capitul. Leopold. Artic. 3. & 18.

§. XVI.

Inficias quidem ire haud licet, quod non pauci eorum possideant bona, in totum vel ex parte à Principibus & Comitibus Imperii dependentia. Hoc tamen eorum, ut sic loquar, immediatati haud officit, cum nullam in Nobiles hos exercent jurisdictionem, quam eam, quæ ad Curiam feudalem pertinet, hocque reali vinculo non tam evadant subditi, quam vasalli. Limn. Lib. VI. Jur. Publ. c. 3. num. 3. seqq. Instrum. Pac. art. 5. §. 27. n. 10.

§. XVII.

Quod hæc Nobilitas insigni Splendoris præ extraneis Nobilibus gaudeat prærogativa, quilibet de facili annuet. Præprimis, si acurata animi lance ponderet, eandem Summo Orbis Monarchæ ac supremo Imperatori, suos debere natales. Quid mirum, quod Eminentissimum hoc Imperii Caput à Clarissimo Reinkingio de *Regimin. Secular. & Ecclesiast. Lib. l. Class. 1. cap. 2. n. 4* Fons omnium dignitatum largissimus & in Regis Ferdinandi I. *Responso von der Landes = Stände Religions = Frieden / relato, à supra laudato Goldasto in denen Reichs = Sazungen p. 1. n. 1. i. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 82. 83. 84. 85. 86. 87. 88. 89. 90. 91. 92. 93. 94. 95. 96. 97. 98. 99. 100.* Pfanzler und Handhaber des Adels vocetur. Huc & referri meren-



merentur ea, quæ habet Plinius in *Paneg. Trajan. Cap. LXIX.* his verbis: Sunt in honore hominum & in honore famæ magna nomina ex tenebris oblivionis indulgentia Cæsaris, cujus est, ut nobiles & conservet & efficiat.

§. XVIII.

Etsi etiam non pauci dentur Politicorum, qui Regi Romanorum hanc tribuere annitantur potestatem, provocantes non solum ad Axioma tritissimum: Rex Romanorum omnia ea perficere valet, quæ Imperator ipsemet. Vid. *Limn. Lib. 2. cap. 17. n. 36. R. J. de dato Spiræ 1542. §.* So hat dem allen nach die Kayserl. Maj. & §. würde sich aber iemand &c. & in *Ordin. Cam. p. 1. art. 1. tit. 1. §.* nemlich wollen / ac *R. J. de dato Augusta 1555. §.* und im Fall da die Kayserl. Maj. sed & ad gloriosam Ferdinandi I. Regis Romanorum praxin, qui vivente etiam adhuc Imperatore, tanquam Romanorum Rex, & nobilem & majores adhuc dignitates benemeritis contulerit, vid. *R. J. de anno 1548. §.* wie wohl auch ic. meæ tamen vix officiet sententiæ, cum Imperator & Rex Romanus in omnibus illis, quæ ad Reip. vel directe vel indirecte expediuntur salutem, non sint agentia opposita, sed subordinata. vid. *Knichen. Op. Pol. Lib. II. part. III. Sect. 1. p. 180.*

§. XIX.

Melioris ordinis causa immediati Nobiles in tres à Politicis distribuuntur classes, scilicet in Nobilitatem Svevicam, Franconicam & Rhenanam. His ex classibus unaquæque subdividitur. Svevica namque quinque distribuitur locis in fünf Quartier oder Viertel. Franconica in sex distingvitur loca, Rhenana tandem in tres dispescitur partes, in drey Landschafts-Ort. Consule Schveder. *Introduct. in Jus. Publ. Rom. Germ. part. special. Sect. II. Cap. XVIII. pag. 1044. Limn. tom. 1. Addit. ad L. 6. cap. 3. n. 70. Caspar. à Lerch. l. c. 2. summ. 53. verb. der Eltsäßischen von Adel. ic.*

§. XX.

Alsatiam olim Nobilitatem inter Imperii etiam Nobiles re-  
latam



latam fuisse & egregiis Juribus radiasse, non solum ex Reecessibus Imperii, sed & erudito Caspar. de Lerch Tractatu *de Ordine Equestri* 2. *Summ. 13. de Nobilitate Alsatica* demonstrari potest. Utitur vero laudatus Vir citato in loco sequentibus verbis: Der Elsaßische Adel ist der Reichs und Kayserl. immedietät / so in Unter-Elsaß von Eggenbach anfähet/und sich unten an Hagenau fast erstrecket von Alters her wohl beygethan/ auch dieser des Heil. Römischen Reichs Freyer Adel mit seinen Reichs unzweiffelhaftigen Freyheit / besondere Ritter-Diensten / eigenen Anlagen und Habender unter sich selbst matricula versehen; sed quia infortunati Nobiles Alsatici Regi Gallorum juramentum fidelitatis præstare coacti fuere, parum immedietatis hodie respectu horum superesse videtur. Vitriar. *Illustr. Jus Publ. Lib. 1. Tit. XX. pag. 515.*

§. XXI.

Ast quæ via, quæ occasio fuit adipiscendi incomparabilem immediatæ Nobilitatis dignitatem? Quoniam unius corruptio non raro alterius generatio est; hinc nullum subest dubium, quin Franconia & Svevia Ducibus per mortem extinctis, Nobiles hi à nexu feudali liberati & ad superiorem dominum devoluti fuerint. Postquam enim cum Conradino illustrissimum Sveviæ Ducum genus & potentissimum Sveviæ Ducatus sinistro simul corruerunt fato, Ordo Equestris Anno 1259 ad Imperium pervenit. Parilem in modum & Franconica Nobilitas Franconia Ducum interitu nacta est libertatem. Quid tandem de tractu Rhenano dicendum? Sicuti hic præter Sveviæ Duces nullos alios certos dominos, qui conclusum, quod vocant, habuerint territorium, agnovisse videtur; ita & aperta hæc feuda ad directum & summum rediére dominum. *Besold. in Ord. Equest. n. 8.*

§. XXII.

Quoniam vero illustri dignitas illustrium Jurium ac privilegiorum foecunda mater est, itaque admiratione haud dignum, Jura ac privilegia & communia & singularia immediatos comitari



Nobiles. Uti autem per illa intellecta volo ea, quæ omnibus tribuenda Nobilibus; ita per hæc, quæ solis immediatis sunt propria.

§. XXIII.

Communium quædam consistunt in honore ac reverentia. Nobilitati deferenda. In judicio igitur comparentibus sedendi locus assignatur, si injuria à plebejis laceffiti, non solum delictum gravius æstimandum, sed & delinquens majori pœna afficiendus est. Dos lautior & major ab uxoribus Nobilibus est constituenda, alimenta que largiora ipsis præstanda. Alia in immunitatibus, cum non tantum à multis oneribus exempti sint, sed & in officiis civilibus personalibus, plus oneris, quam dignitatis annexum habentibus, excusationem mereantur. Alia in pœnis temperandis. Hinc ignominiosa pœna laquei non sunt plectendi, sed alia honestiori afficiendi, ne macula perstringat totam familiam, quicquid etiam in contrarium afferat D. Philipp, in *Ecol. ad Institut. pag. 2.* Alia in præsumptionibus, majorem enim pro Nobilibus, quam plebejis virtutis pariter ac capacitatis militare præsumtionem, non pauci Politicorum credunt. Quod vero majorem fidei prærogativam attinet, de ea legi merentur Schüz. *Vol. 1. thes. 6. D. Maurit. Dissert. de Nobil. Thes. 33.* Petr. Fritzius *Jctus & Consil. Brandenburg. in Conclus. de Nobil. §. 22. seqq.*

§. XXIV.

Inter Singularia privilegia ac Jura merito primum occupat locum Jus Ecclesiasticum, vi cujus circa negotium religionis ipsis tantum libertatis ac potestatis competit, quantum Electores, Principes & reliqui Status confirmatum habent. *Vid. R. J. de Anno 1555. §. Und in solchen Frieden/zt. Instrument. Pac. Art. 5. §. 10.* Vi hujus juris in possessionibus suis, ad instrumenti Pacis normam, religionem libere mutare, novæque, quam amplectuntur, exercitium in templis & scholis introducere possunt. Et sicuti vigore Pacis Religiosæ nulla vis propter religionem ulli metuenda, ita etiam à suis Dominis Vasalli propterea nihil quicquam metuere, ne dum pati



tenentur. Schütz. *Volum. 2. Disput. 4. Thes. 15.* Würmser. *Exercitat. 5. Thes. 4.* Biedenbach *Quaest. Nob. 2. n. 9.* Myler. *de Stat. Imp. Cap. 84. n. ult.* Addit tamen *Instrument. Pac. Art. 5. §. 28.* sequentem limitationem: Nisi forte in quibusdam locis ratione bonorum & respectu territorii vel domiciliis aliis Statibus reperiantur subjecti. *Rhet. in Instit. Jur. Publ. Lib. 2. cap. 2. n. 39.*

§. XXV.

Nec minoris dignitatis Jus est, quod immediati Nobiles a territoriali Principum aliorumve Statuum jurisdictione sint immunes, Imperio & Imperatori immediate subjecti, hincque eundem solum & Cameram pro superiori recognoscant iudice. Et quoniam ceteris immediate subjectis Civibus Camera vel Imperator tutores ac curatores constituit, aut jam constitutos confirmat. *Gail. Lib. 2. Observ. 1. n. 47.* itaque & Nobiles hi eodem fruuntur jure. Num autem hac de causa immediatis Nobilibus superioritas & jurisdicatio territorialis in castris, vicis & pagis, quibus gaudent, assignanda, infra in Sectione Polemica discutere animus est. Vid. Biedenbach *L. c. Quaest. 1. n. 50.*

§. XXVI.

Gaudent praeter laudata jura non solum mero ac mixto Imperio & Banno serino *die hohe und nieder Wild. Bahn* / sed & jure collectandi, *Diartas Ritter = Täge* / absque speciali veniae impetratione, instituendi. Hoc jus post multas contradictiones expresse ipsis a Ferdinando I. Imperatore Anno 1555. d. 26. Julii concessum, a Rudolpho II. autem Anno 1609. d. 1. Maj. confirmatum. *Nold. de Stat. Nobil. Cap. 14.* Silentio involvo Jus Archivi & recipiendi Judaeos, quibus & laudati fruuntur Nobiles, *Spreng. Lucern. Stat. Imp. Cap. 3. pag. 228.*

§. XXVII.

Si vel a similibus vel ab aliis immediatis in jus vocantur & personali actione conveniuntur, jure gaudent *Austregarum per Text. in Ordin. Camer. p. 2. 1. 3. 1.* Idem procedere in puncto arrestorum, diffamationis & litigiosa possessionis ex Imperii constitutionibus



tionibus probare satagit Schütz. *Vol. 2. Dissut. V. thes. 3.* Mittere & valent Legatos non solum ad externos Reges ac Principes, sed ad ipsum etiam Imperatorem, tanquam summum Imperii Caput. Kulpis. *de Legat. Stat. Imp. c. 9. num. 2.* Ubi tamen tenendum, hujus juris exercitium non spectare ad singulos, sed universos sive conjunctim consideratos, quæ sententia, uti genuina, ita non raro praxi fuit confirmata. Myler. *de Stat. Imp. c. XIX, num. 6.* Nec Fœderum jus ipsis denegandum, cum hoc ab Imperatore Ferdinando anno 1561 una cum reliquis juribus confirmatum legatur. Testatur etiam hoc Fraternalis Equitum Unio anno 1522 facta & Goldastus in *denen Reichs-Handlungen p. 108.* De recentiori praxi & solenni hujus juris exercitio consuli potest Schvveder. *in Introd. in Jus Publ. p. 1055.*

§. XXIX.

Quoniam vero extra dubitationis aleam positum in aliis etiam regnis illustriores, majores & immediatos vigere Nobiles, prout tam de Regno Gallico, quam Hungarico probare annitur Becman. *l. c. p. 1211. & 1217.* hinc determinationem quandam, annectere libuit, quo constet, eos, qui in hodierno florent Imperio, intelligendos hic esse. Cur autem Imperium nostrum aucto hoc insigniatur titulo, quomodo sub Ottone I. in summum felicitatis culmen evectum, sub Henrico IV. vero & Fridrico II. splendor summæ hujus dignitatis valde fuerit imminutus, ex omnibus Juris Publici systematibus haurire licebit, vid. Excellentiss. Domini Præsidis *Jus Publ. & quidem Tab. II.*

§. XXIX.

Hiscæ igitur ad comparandam majorem lucem detectis, nihil circa hanc Sectionem restare mihi videtur, quam ut perfectam, ac accuratam Nobilium immediatorum communicem definitionem. Sunt autem Personæ illustres in Imperio Rom. Germ. vigentes, quæ extinctis per mortem immediatis Dominis, non solum ratione fori personalis ad Imperatorem devolutæ, sed & singularibus aliis juribus, mediatis Imperii nobilibus haud competentibus, ornatae sunt.

SECTIO



## SECTIO POLEMICA

exhibens

Nobiliores Controversias hanc materiam  
illustrantes.

**U**Ti fides data, secundum infallibile Juris Naturalis principium,  
servanda; ita, absoluta tam verborum, quam rerum expli-  
catione, ad enucleandas nonnullas controversias, hanc materiam  
illustrantes, me conferre animus est.

### Controversia Prima.

Num in adipiscenda Nobilitate literis, an armis palma debeat  
tur?

Resp. Literis prerogativam esse tribuendam, sequentibus statumi-  
nare liceat rationibus.

#### Probatio.

I. Quia litera pacis & belli sunt instrumenta, adeoque lati-  
us, quam arma patent.

II. Eruditio ad absolvendam hominis perfectionem longe  
plus, quam rigida & infœcunda Martis instrumenta, quibus effe-  
rari modò plerosque & Reipubl. placata inidoneos esse cives  
constat, conferunt. Præprimis eum

III. Secundum Alphonfi Arragonum Regis effatum, ex libris  
& armorum jura sint dicenda, Panorm. *de ejus gestis & factis Libr.*  
*IV. n. 19.* Hinc egregie huc facere videtur singulari prudentia,  
tincta Imperatoris Rudolphi sententia, sequentem in modum,  
sonans: Ridiculi sunt, qui militiam literis anteponunt, cum  
sciant, ex idiotis me sexcentos una die equites creare posse,  
at ex eodem genere, ne unum quidem eruditum. Knichen,  
*Op. Pol. Lib. II. Part. II. Sect. I. p. 887.*

#### Vindicatio.

Opponent I. Indignam rem esse, cum qui non castra, non  
exercitum frequentat, non suam personam casibus & pericu-  
lis



lis objectat, tamen insigniri decore annorum proprioque armata militia documento. E.

Sed Resp. 1.) Hoc argumentum perit id, quod est in principio, quasi scilicet ad solam militiam illustris hæc compensatio spectet, nequam ad literas Reipubl. maximè utiles.

2.) Probè etiam distinguendum inter fortitudinem togatam & sagatam, non solum hæc, sed & illa pro Reipubl. fulcimento habenda.

Obj. II. Multæ dantur artes, quæ nec faciunt ad fundandam, nec ad stabiliendam Reipubl. E.

Resp. Dist. inter artes speculativas & practicas. Hæ potissimum ad gubernationem spectantes hujus loci sunt, quales Politica, Jus Naturæ & Jurisprudencia, eisque annexa Oratoria ad directionem Reipubl. & consilia circa hanc instituendam, maxime necessaria.

Obj. III. Quod in locis, in quibus jussu Sacratissimi Imperatoris de armis agitur & Legibus, arma semper præcedant, & sequantur leges. *Pr. præm. Inst. Novell. 24. in pr.* E.

Resp. Argumentatio hæc nihil in contrarium probat, nam

Dist. inter id, quod sit ratione Individuorum, & in genere. Ideo hic Legibus Arma præponuntur, quoniam Justinianus prius arma, quam leges tractavit, ut probat §. 1. *præm. Instit.* quod etiam innuit Paulus Diaconus, quando *Libr. XVI. de Imperatore nostro* scribit, quod is mox, ut Imperialia jura suscepit ad reparandum Reipubl. Statum animum intenderit: ac primum per Belisarium Patricium, ingentem virum, Persas aggressus fuerit, quos etiam, tradit, Belisarium magnis præliis fudisse, atque ex voluntate Principis Constantinopolin triumphantem ingressum esse.

### Controversia Secunda.

Num Nobiles Imperii Romano-Germanici immediati olim fuerint Status Imperii? Resp. Neg.

Pro-



## Probatio.

I. Quia hi Nobiles nunquam vocati fuere ad Comitiam.

II. Multo minus valida dantur fundamenta probandi, quod nunquam voto & sessione gavisi fuerint.

III. Nec causa, quod Jus hoc amiserint & vocari desierint, demonstrari potest. Bechm. *ad A. B. Exercit. X. ad tit. 20 n. 49. seqv.* Buxtoiff. *ad A. B. conclus. V. Rymelin. ad A. B. part. I. Diss. 1. thes. 12.*

## Vindicatio.

Obj. I. Priscum id innuere stylum, quod immediati etiam Nobiles interfuerint Comitiam, & Liber Imperii Ordo antiquitus, tanquam singularis Imperii Status, ad conventus generales fuerit vocatus. Provocant ad verba finalia Proœmii A. B. ibi: Assidentibus nobis omnibus Principibus, Electoribus Ecclesiasticis & secularibus, ac aliorum Principum, Comitum, Baronum, Procerum, Nobilium & Civitatum multitudine numerosa.

Sed Resp. A citatione ad Comitiam ad essentiam Status Imperii non valet consequentia, cum nonnulli ex errore, alii alio fine ad hosce conventus fuerint convocati, nec tamen hac Imperii dignitate potiti. Sic B. Lutherus ad sui defensionem à Carolo V. Wormatiam Anno 1521. evocatus est. Strauch. *Diss. Exot. VI. n. 19.* Deinde etiam ex errore vocata fuit civitas Magdeburgensis, quæ, hoc comperto decreto cassatorio, prout Politici loqui amant, sub dato Viennæ die 13. Januar. Anno 1663. à Jure Comitiorum rursus fuit exclusa.

2.) Aliud, an Nobiles interfuerint Comitiam, aliud, an hoc fine, ut votum prabeant in Comitiam, nam Legati etiam, quin & Consiliarii absque legationis caractere interdum frequentant Comitiam.

Obj. II. Expressa tamen fit mentio Nobilium non solum in loco allegato, sed & in Sigismundi & Friderici testimoniis, quia ille in Bulla quadam, quæ extat apud Goldastum *Tom. I.*



*Confit. Imperial pag. 243.* prædicti styli accuratus cernitur propagator. *vid. §. 2.* Hic verò in *Reformatione Francofurti anno 1442. promulgata in pr.* hoc ipsum confirmat. E.

Resp. Nobiles hic loci non sumuntur in sensu minus famoso, quatenus Imperii Statibus contradistinguuntur, sed in famoso, quatenus totum Statuum Imperii complexum, exhibent.

Obj. III. Sed Nobiles immediati ad Imperialium Statuum Diatas ideo vocari desiere, ut hoc pacto mitigationem & exemptionem onerum impetrarent & tolerabiliores fierent contributiones illæ, quæ ad peculiare Cæsaris expeditiones conferuntur. E.

Resp. I. ) Et hoc argumentum principii petitione laborare videtur. Nam aliud est, quod fieri potest, aliud, quod svadente Reipubl. utilitate, factum. Prius probant adversarii, non posterius.

2. ) Personæ publicæ non tam præsumuntur certare de lucro captando, quam de honesto ac Reipubl. commodo promovendo. *Limn. de Jur. Publ. Libr. VI. pag. 90. Rumelin. ad A. B. Dissert. I. pag. 37.*

### Controversia Tertia.

An Nobiles Imperii immediati hodie dignitate & juribus Statuum Imperii gaudeant?

Resp. Contra Rumelinum & Wehnerum Neg.

#### Probatio.

I. Quia certo certius, eosdem hodie nec ad Comitia evocari, nec voto in illis gaudere. Hæc autem duo essentialia constitutiva Statuum Imperii jure meritoque salutantur.

II. In capitulatione Leopoldina *Art. 8. verb. Chur - Fürsten und Stände des Reichs samt der unmittelbaren Reichs - Ritter schafft* &c. & *Art. 15. verb. und andre Stände des Reichs / gleichen die unmittelbare Reichs - Ritter schafft* / &c. Status Imperii & Nobiles Imperii immediati expresse à se invicem distinguuntur.

III. Hoc



III. Hoc & in Instrumento Pacis observatum fuisse, *Art. 3. & 1.*  
testantur.

### Vindicatio.

Obj. I. Nobiles hi immediate Imperio sunt subjecti, uti ex concessis probare licet. E. Statibus annumerandi. Vid. Wehnerum in *Observat. suis verb. Ritterschafft. Ott. Meland. part. 1. ad Process. Menneri tit. VI pag. 77.*

Sed Resp. Dist. inter Membra Imperii & Status Imperii. Hæc sane differunt ut latius & angustius, hinc neutiquam sunt Synonyma, nec ab uno ad alterum in universali argumentari licet.

Obj. II. Equestris tamen Ordo Statibus accensetur in dem Königl. Landes-Frieden zu Worms anno 1495 aufgericht/ juncto principio in vers. darinn/xc. xc. Quod & colligere licet ex R. J. de Anno 1542. zu Speyer dergl. wie jetzt im nächsten Articul xc. xc.

Resp. Dist. inter Status in sensu generali & speciali, quatenus gaudent Jure sessionis & voti, acceptos, tantum abest, ut posterior acceptio sit hujus loci, ut potius prior saltem huc quadrare videatur.

Obj. III. Nobiles Imperii immediati ornati sunt Juribus nobilioribus Statuum Imperii, gaudent namque Jure Foederum, Austregarum, mittendi Legatos, aliisque, de quibus supra verba feci.

Resp. A participatione nonnullorum Jurium ad convenientiam essentialem & totalem haud valet sequela. Augustam, Serenissimam Imperatoris Conjugem, egregiis etiam ornatam esse Juribus, in confesso est, at, quis eandem Status Imperii titulo donare vellet? vid. Pauermeister, de *Jurisdic. Libr. 1. cap. 4. num. 41.* Svendend. ad *Eckold. p. 834.* Magnif. Dn. Præsidis *Jus Publ. Tab. XXX.*

Obj. IV. Gaudent tamen Nobiles immediati Superioritate territoriali, vid. Schütz, *Vol. 1. Disp. 6. thes. 4.* Reinking, *Lib. 1. class. 5. c. 3. n. 55.* Biedenbach, *Qv. Nob. quest. 1. n. 11.* Burgold, *part. 1. Disp. 22. n. 5. E.*

C 3

Resp. (3)



Resp. 1. Autoritati oppono autoritatem. Quo jure jam-  
laudati viri affirmant, Nobilibus immediatis competere Su-  
perioritatem territorialem, eo majori ac firmiori hoc negant  
Speidelius, Strauchius *Diff. Exot. IV. thes. 21.* Ludolph. Hugo  
*de Stat. Regim. Germ. Rhetius Disp. de Jure Statuum circa sacra*  
*Cap. II. n. 17.*

2.) Distinguendum puto, inter ipsam Superioritatem terri-  
torialem, & analogum hujus. Posito, & non concessio,  
quod ipsis competat Analogum Superioritatis territorialis, ab  
hoc tamen ad ipsam Superioritatem territorialem argumentari  
vix licebit.

3.) Unius etiam effectus plures ac diversæ possunt esse cau-  
sæ. Hinc à Superioritate territoriali, tanquam Adjuncto Sta-  
tus Imperii, ad ipsam rei essentiam haud est concluden-  
dum.

### Controversia Quarta.

Num immediati Imperii Nobiles etiam gaudeant Jure mittendi  
Legatos ad Summum Imperii Imperatorem?

Resp. Aff. contra Dn. de Lendersheim, qui in *Traclat. de Jur. &*  
*Privileg. Nobil. Liber. th. 5.* contrarium tueri allaborat,

### Probatio.

Corroboravi supra in Sectione Thetica hoc assertum tam  
*Art. 10. Capitulat. Leopold.* quam praxi quotidiana.

### Vindicatio.

Obj. 1. Nemo præter Imperatorem & Status in Imperio  
gaudet



gaudet Jure Legatos mittendi. Sicuti vero Nobiles immediati Status Imperii non sunt, ita non tam possidere videntur jus mittendi Legatos, quam Deputatos, E.

Resp. Disting. inter jura, quæ ortum trahunt ex essentia, ac forma Statuum Imperii, & ex gratia ac concessione summorum Imperantium. Ex posteriori fonte hoc jus est derivandum.

Obj. II. Sed singuli Nobiles hoc Jus non valent exercere, E. non est connexum necessarium.

Resp. Dist. inter singula individua & singulas Classes, quamvis non illa hoc gaudeant jure, certissimum tamen, quod quælibet harum classium in causis particularibus legationem adornare valeat. Vid. Culpis. *de Legat. Stat. Imp. c. 8. n. 27.* cum singulæ etiam singularis corporis habeant speciem, senatum Equestrem, Concilia, statuta & consuetudines, vid. Wehner. *voc. Kraysß-Tag / Kreideman l. c. Limn. ad A. B. Proam, Observ. 24.*

Obj. III. Jus mittendi Legatos præsupponit superioritatem territorialem, cum effectus vel Majestatis vel Analogi Majestatis sit. E.

Resp. 1.) Indirecte. Idem urgere liceret de Jure primariorum precum, quod tamen quoad Abbatissas Imperatrici etiam competere testatur Paurmeist. *de Jur. Lib. I. c. IV. add. Magnifici Dn. Præsidis Jur Publ. Tab. VI.*

2.) Distingv. inter id, quod acquiritur proprio & communicato jure, autoritas namque Principis supplet omnes defectus.

COROL



## COROLLARIA.

I. Theolog. Studium Theologicum Nobilibus pariter ac Politicis non solum utile, sed maxime necessarium, quia Religio est vinculum Rerum publicarum.

II. Jurid. Benedictio sacerdotalis non est forma matrimonii accidentalis, sed essentialis, quia absente ea nullæ sunt nuptiæ.

III. Philolog. Non solum ex phrasibus, uti non nemo ex recentioribus statuit, sed & ex Verbis, Nominibus ac particulis Sacrarum Pandectarum emphases eruere licet.

IV. Log. Inter Theologiam & Philosophiam nulla vera datur contradictio, quoniam commune agnoscunt principium, scil. DEVM.

V. Metaphys. Absit, ut summo Numini, tanquam Enti simplicissimo, tribuam potentiam passivam.

VI. Moral. Obligatio directiva nulla est, nam, quoniam omnis obligatio in suo formali involvit necessitatem, hinc omnis coactiva est.

VII. Polit. Status Imperii Romano-Germanici non gaudent Majestate, sed Analogo Majestatis, seu Superioritate territoriali.

VIII. Pnevmat. Recte præter Attributiona positiva DEO & tribuuntur negativa, quæ tamen, quoad rem, ponunt.

IX. Orator. Loci Topici sunt largissimi fontes non solum inventionum & probationum, sed & Amplificationum ac Illustrationum.

S. D. G.











Kg 186i

ULB Halle

3

002 163 314



TA 500


Sb.

WONAT

M









2 DISSERTATIO POLITICA  
DE 683

# NOBILIBUS

IMPERII ROM. GERMANICI  
IMMEDIATIS

Von der  
**Freyen Reichs-Ritterschafft/**  
QVAM

ADSPIRANTE SUMMI NUMINIS CLEMENTIA  
IN ILLUSTRIS AD SALAM AUGUSTEO,  
SUB PRÆSIDIO

**DN. CHRIST. WEIDLINGII,**  
PHILOSOPHIÆ ET JUR. UTR. DOCTORIS  
CELEBERRIMI, COMITIS PALATINI CÆSAREI, CONSILIA-  
RII SAXONICI, ILLUSTRIS AUGUSTEI RECTORIS ET PROFES-  
SORIS PUBLICI LONGE MERITISSIMI,

**DOMINI PATRONI AC DOCTORIS SUI OMNI**  
HONORIS AC OBSERVANTIÆ CULTU ÆTATEM PROSEQVENDI  
D. V. SEPTEMB. A. O. R. MDCCIX.  
IN ACROATERIO MAJORI SOLENNI ERUDITO-  
RUM CENSURÆ SUBJICIET

**AUTOR ET RESPONDENS**  
**FRID. GVILIEL. de STUTTERHEIM,**  
EQVES SAXONICVS.

LEUCOPETRÆ,  
Typ. Jo. Christoph. Brühl. Aul. & Aug. Typogr.

